

gen, et Stabsamt Dertingen. Denique 14. St. Georgen. Possessionibus ecclesiae annumerandus prioratus Reichenbach, monasterio Hirsaugiensi olim conjunctus, etsi inter status seculares pridem locum occupat: deinde praefectura Unter-Oewisheim, qui locus cum Electore Palatino diu in communione possessus, anno autem 1748. ab ipso cessus est in vicem locorum olim aequae communium Zaisenhäusen, Goelzhäusen et Sprantal.

Coenobiorum monialium, Hofmeistereyen, sunt sequentia: 1. Kirchhemii ad Teccam. 2. Laufen. 3. Lichtenstern, ein Amt. 4. Offenhausen. 5. Pfullingen. 6. Rechenshofen. 7. Reuthin. 8. Steinheim. 9. Weil.

Praefecti monasteriorum, Ober-Amtmänner, Ducis nomine jurisdictionem procurant, exceptis causis criminalibus, nimirum à praefecturis secularibus pertractandis, indeque vocatis Schirms, Vogteyen, de quibus alias.

Quod ad alterum genus propositae divisionis, ad praefecturas spectat seculares, eas hic recensero ordine alphabetico, alterum, quem in Comitibus tenent, indicaturus in capite de Ordinibus. Sunt earum

I.) in parte superiore 1. Altenstaig. 2. Balingen. 3. Blaubeuren, Stadt mit seinem Amt. 4. Boeblingen. 5. Calw cum oppido Zavelstein. 6. Dornhan. 7. Dornstetten. 8. Ebingen, 9. Freudenstadt. 10. Herrenberg. 11. Hornberg. 12. Kirchheim unter Teck.